

die 13. Juni. 1782.) Pio VII. (*Epist. ad Archiep. Moguntinum 'Etsi fraternitatis tuæ' die 8. Octob. 1803*); Pio VIII. (*Epist. ad Archiep. Coloniensem et Episcopos Trevirenses, Monasteriensem et Paderbornensem 'Litteris altero abhinc anno' die 25. Martii 1830. Instructio ad eosdem Archiep. et Episcopos die 27. Martii 1830*); et Gregorio XVI. (*Epist. ad Archiep. et Episc. Bavaricæ 'Summo igitur studio' die 27. Maji 1832. Instructio ad eosdem die 12. Septembris 1834. Epist. ad Archiepiscopum et Episcopos Hungariæ 'Quas vestro' die 30. April. anni 1841. Instructio ad Archiep. et Episcopos Austriacæ Ditionis in federatis Germaniæ partibus die 22. Maji 1841*) de hoc gravissimo sane argumento, maximique momenti negotio ad plures Catholici Orbis Episcopos scriptæ fuerunt.

Hæc Amplitudini Tuæ erant significanda jussu ipsius Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ IX., cui nihil potius, nihil antiquius est, quam ut Catholicæ Ecclesiæ doctrina, ac disciplina ubique illibata custodiatur atque servetur.

Datum Romæ die 15. Nov. 1858.

J. Card. Antonelli.

*Notandum.* Hæc Instructio quam supra retulimus est omnium recentissima pro mixtis conjugiiis, et secundum eam matrimonia mixta a S. Sede permittuntur.

## A p p e n d i x

### ad Commentarium in Lib. IV. Decretalium.

#### De Dispensatione in impedimentis matrimonii.

1. Conceptus dispensationis in eo consistit ut Superior Ecclesiasticus, integra manente dispositione legis pro tota communitate, eximat a lege aliquem individuum communitatis ejusdem.

2. Ex data notione sequitur dispensationem considerandam esse tamquam vulnus legi, adeoque ceu odiosam juri, strictam interpretationem pati. Adeo autem in stylo Curiae urgetur interpretationis rigor, ut practica regula sequens adoptata fuerit: 'Dispensatio tantum valet, quantum sonat'. Quare excluditur extensio ad casus similes, nec valet argumentum de majori ad minus. Unde ex gr. dispensatio concessa in secundo gradu consanguinitatis lineæ obliquæ non valet si oratores non in secundo gradu, sed in tertio vel quarto gradu consanguinitatis ejusdem lineæ constituti sint. Conf. Riganti ad Regulam 14. Cancellariæ Apostolicæ nn. 71. et 72.

Hanc regulam vidi ego recognitam in Tribunali S. Pœnitentiariæ.

3. Ex data notione sequitur etiam dispensare non posse in impedimentis, nisi eum qui jurisdictione seu potestate pollet supra legem. Hinc potestas suprema ecclesiastica, quæ ordinario modo in Romano Pontifice residet, et extraordinarie residet in Concilio Generali cum Romano Pontifice, dispensare potest in impedimentis sive impedimentibus sive dirimentibus a jure ecclesiastico inductis. Quæ dispensatio non solum internum sed etiam afficit forum externum, quoties dispensatio detur pro utroque foro.

4. Dixi 'quoties dispensatio detur pro utroque foro'. Nam Sacra Pœnitentiaria quando agitur de impedimento occulto, dispensationem concedit pro foro tantum interno cum clausula: 'Ita quod hujusmodi dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragetur'.

5. Ex exposito conceptu dispensationis sequitur insuper Episcopum posse auctoritate propria dispensare in interdicto Ecclesiae vetante matrimonium aliquod in particulari, sive interdictum fuerit positum ab ipso Episcopo, sive a Parocho intimatum fuerit, non autem dispensare posse in aliis impedimentis sive impediens sive dirimentibus. Notum enim est peraeque acceptum principium, non posse inferiorem derogare legi superioris, nisi ex facultate delegata ab ipso superiore.

6. Porro delegatio potest esse expressa vel tacita, vel praesumpta. Etenim aliquando superior expresse, aliquando tacite concedit facultatem, aliquando autem voluntas superioris delegandi facultatem quamdam argui potest ex circumstantiis. Videlicet dantur quandoque facti cujusdam conditiones, et circumstantiae, quae ignorantur quidem a superiore, sed adeo graves reputantur, ut si eas superior cognosceret facultatem agendi indubitanter concederet inferiori.

7. Dispensat Episcopus ex delegatione expressa 1<sup>o</sup>. quando Summus Pontifex committit eidem facultatem dispensandi in aliquo casu particulari inter determinatas personas.

2<sup>o</sup>. Quoties Summus Pontifex concedit Episcopo indultum in genere ad dispensandum sive in determinatis impedimentis et determinatis gradibus, sive pro casibus numero definitis ex. gr. pro decem casibus in anno. In utraque hypothese regula est ut delegatus fideliter stet tenori et formae mandati Summi Pontificis.

8. In ordine autem ad indultum, cum sit beneficium Principis, hinc favorabile est et latam interpretationem recipit. Quare ex. gr. si concessum fuit in genere indultum ad dispensandum in impedimento affinitas absque ulla limitatione, haec facultas exerceri potest sive affinitatis oriatur ex copula licita, sive ea oriatur ex copula illicita. Cf. *Giovine De Dispensationibus* tomo 1<sup>o</sup>. part. 1. § 102. n. 2.

Pariter concessa facultate dispensandi super gradu superiori, nempe tertio, censetur concessa dispensandi facultas super inferiori, nempe quarto. Ita Riganti ad Regulam 14. Cancellariae Apost. n. 69.

9. Ceterum nequit fieri extensio de uno genere ad aliud genus impedimentorum, nec de gradu simplici ad gradus mixtos. Pariter si concessum fuerit indultum dispensandi cum pauperibus, dispensatio non valet si concedatur personis non pauperibus.

10. Ex facultate tacite delegata ordinarie Episcopus potest dispensare in impedimento derivante ex quocumque voto simplici Pontifici non reservato. Talia sunt: votum temporaneum castitatis, votum perpetuae castitatis conditionatum vel poenale; sic etiam votum non nubendi, et votum suscipiendi ordines. Et ratio est quia haec vota Summus Pontifex sibi non reservavit. Hinc censetur tacite concessa facultas Episcopis dispensandi super iisdem.

Verum Episcopus dispensare nequit in impedimento impediens ex voto absoluto perpetuae castitatis, vel ex voto ingrediendi religionem. Vota enim haec duo reservata sunt Romano Pontifici. Ita communis sententia Doctorum tenet et ab experientia confirmatur.

11. Ex praesumpta autem delegatione Episcopus, juxta Doctorum sententiam pro foro conscientiae in impedimentis etiam dirimentibus juris ecclesiastici dispensare potest in causa urgentissimae necessitatis, dummodo simul haec tria concurrant: 1<sup>o</sup>. ut impedimentum sit occultum et tale ut si publicaretur, notabilis infamia exurgeret contrahentibus, 2<sup>o</sup>. ut adsit causa gravis; et 3<sup>o</sup>. adeo debet periculum esse in mora, ut differri nequeat matrimonium, quoadusque postuletur et obtineatur dispensatio a Romano Pontifice.

12. Doctores duplicem casum ad instar exempli afferunt, 1<sup>o</sup>. s. aliquis morti proximus ad legitimandam prolem contrahere vellet cum concubina, cum qua ligatur impedimento occulto, nec adiri potest Romanus Pontifex, 2<sup>o</sup>. cum omnia sint parata ad matrimonium contrahendum, nec celebratio differri potest, et pariter contrahentes ligentur impedimento occulto. Ita fert communissima inter Doctores sententia necnon experientia et longeva consuetudo Episcoporum. Cui accedit ratio praesumptae facultatis, nam tales sunt supra expositae conditiones, quas si cognosceret Romanus Pontifex, procul dubio concederet Episcopo facultatem dispensandi Cf. Ben. XIV. De Syn. Dioc. lib. IX. c. II. n. II. et S. Alphonsus Th. mor. lib. 6. 1122.

Caeterum Sancta Sedes non semel interrogata de valore hujus sententiae, sese semper abstinuit ab eadem sive probanda, sive reprobanda.

13. Verum si agatur de matrimonio jam contracto eoque nullo ob impedimentum dirimens, Benedictus XIV. in cit. loc. n. 1<sup>o</sup>.

ita scribit: 'Ultro concedimus Episcopo illud (impedimentum) relaxandi facultatem, quam eidem adscribunt Sylvester verbo *'Dispensatio'* § 9; Sanchez. *de mat. disp.* 40. n. 3. . . Fagnanus in cap. *'Nimis'* n. 33. *De filiis Presbyterorum'* etc. qui tamen unanimiter monent non posse Episcopum eam potestatem sibi usurpare nisi simul concurrant sex circumstantiæ.'

14. Porro circumstantiæ hujusmodi sunt sequentes videlicet 1<sup>o</sup>. ut matrimonium sit contractum in facie Ecclesiæ, omnibus adhibitis solemnitatibus, 2<sup>o</sup>. ut contractum sit bona fide, 3<sup>o</sup>. ut sit consummatum, 4<sup>o</sup>. ut impedimentum sit occultum, 5<sup>o</sup>. ut non possit facile adiri S. Sedes, ob paupertatem vel rusticitatem conjugum, vel ob distantiam, 6<sup>o</sup>. ut non possit fieri separatio putatorum conjugum absque scandalo.

15. Diximus Episcopum suppositis conditionibus supradictis in foro interno, non autem in externo dispensare posse. Nam experientia et consuetudo numquam facultatem asseruit Episcopo dispensandi in foro externo in impedimentis dirimentibus. Ratio autem juridica est, quia præsumptiva delegatio tota fundatur in necessitate consulendi bono animarum, seu conscientiæ fidelium, non autem providendi convenientiæ exteriori et famæ seu opinionum individuorum relate ad societatem. Insuper urgentissima necessitas dispensationis in foro conscientiæ optime cognita non semper exterius patere potest, ita ut legitima reddatur appositio manuum inferioris in lege superioris. Hinc facile possent ex dispensatione Episcopi scandala oriri. Quare S. Congr. Concilii die 19. Jan. 1601 audita declaratione qualificatorum S. Congr. Inquisitionis judicavit falsam esse ac temerariam propositionem quæ asserit posse Episcopum dispensare in impedimento publico dirimente consanguinitatis ad matrimonium contrahendum, sive in periculo mortis, sive in alia urgentissima necessitate, in qua contrahentes non possunt expectare dispensationem Sedis Apostolicæ. *Riganti ad reg.* 49. *Canc. Apost.* n. 2. *Bened. XIV. De Synod. Diœc.* l. c. n. 3.

16. Quæritur quando impedimentum censeatur occultum.

Impedimentum tunc in genere censetur occultum, quando non publice constat nec facile constare potest, ac periculum non est ut in foro externo detegatur. Ita Pyrrus Corradus *Praxis Dispens. Apost. lib.* 7. n. 12.

Hæc notio præsertim convenire potest impedimento criminis ex adulterio utrinque formali cum promissione mutua futuri matrimonii, et impedimento affinitatis ex copula illicita. Unde impedimenta consanguinitatis et affinitatis ex copula licita, et alia quæ probari possunt ex publicis libris in genere occulta non sunt. At Bened. XIV. in Const. *'Pastor bonus'* § 7. concedit majori Penitentiario facultatem dispensandi in tertio et quarto gradu consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita occultis, ad revalidandum matrimonium nulliter contractum. Quare etiam impedimenta ex consanguinitate vel affinitate possunt esse occulta. Et revera distantia domicilii a loco originis efficere potest, ut in loco domicilii ignota sit omnibus consanguinitas vel affinitas inter duos.

17. Hisce positis, regula hæc, juxta Doctores magnæ notæ relatos a Bened. XIV. *Inst. Eccl.* 87. n. 44. 45., constitui potest, ut censeri possit occultum impedimentum, quando scilicet a paucis ex. gr. tribus, vel quatuor in oppido, vel a septem vel octo in civitate cognoscatur, tamen periculum moraliter nullum est publicationis ejusdem impedimenti. Quare quando possibilitas cognitionis impedimenti restringitur ad testes, qui impedimentum cognoscunt, attendendus utique est numerus personarum quæ impedimentum sciunt, sed magis considerandæ sunt qualitates testium ipsorum, utrum timeri possit evulgatio impedimenti necne. Si enim testes bonæ opinionis non sunt, etiam duo soli testes possunt timorem ingerere propagationis notitiæ impedimenti, et denunciationis impedimenti ad Tribunal publicum Ecclesiæ, ita ut matrimonium ex dispensatione occulta Episcopi valide contractum, cum scandalo dissociari debeat, et in foro externo ceu nullum haberi.

18. Qua in re animadverti etiam debet, non sufficere si impedimentum sit solummodo formaliter occultum, sit vero materialiter publicum, sed requiri ut impedimentum sit etiam materialiter occultum. Dicitur materialiter publicum impedimentum, sed formaliter occultum quando ab omnibus vel a pluribus in loco cognoscitur factum, quod gignit impedimentum, sed tamen ex errore juris non noscitur ex facto illo impedimentum oriri. *Cf. cit. Inst. Eccl.* n. 48.

Hæc dicta sint de potestate Episcoporum in dispensationibus concedendis ab impedimentis.

**De Dispensationibus, quæ a Sede Apostolica conceduntur.**

19. In Apostolica Sede duplex fuit institutum organum pro dispensationibus matrimonialibus concedendis, nempe Dataria Apostolica et sacra Pœnitentiaria. In Dataria Apostolica conceduntur dispensationes pro impedimentis publicis. In S. Pœnitentiaria juxta primitivam institutionem concedebantur dispensationes solummodo pro impedimentis occultis. Hinc in Dataria concedebantur dispensationes etiam pro pauperibus, unde distincta est concessio dispensationum in forma ordinaria, et concessio in forma pauperum. Quoniam vero in Dataria conceduntur dispensationes in impedimentis publicis, in precibus exprimenda sunt nomina et cognomina nupturientium, et documentum dispensationis debet esse publicum. Quare literæ Apostolicæ dispensationum in Dataria concessarum expediuntur per Cancellariam Apostolicam. Quædam vero dispensationes expediuntur in ipsa Dataria per literas in forma *Brevis*.

20. Quoniam vero dispensationes, quæ juxta primitivam institutionem in Pœnitentiaria conceduntur respiciunt forum internum, et dantur super impedimentis occultis, non oportet, ut in precibus exprimantur nomina et cognomina postulantium, sed adhiberi solent nomina fictitia Titius, Cajus, Sempronia, Mœvia etc.

21. Pariter ex eodem conceptu habetur, quod si concedatur dispensatio in Dataria ad revalidandum matrimonium nulliter contractum, necesse est ut consensus renovetur in forma Tridentina, eo quia impedimentum publicum reddit nullum matrimonium coram Ecclesia. Quando autem dispensatio conceditur in S. Pœnitentiaria ad revalidandum matrimonium nullum ob occultum impedimentum, sufficit occulta renovatio consensus. *Reiffenstuel, Appendix, De Dispens. matrim. n. 610. et seqq.*

22. Verum hodierna praxis est ut etiam in Sacra Pœnitentiaria concedantur dispensationes super impedimentis publicis quando oratores sunt pauperes. Quapropter concessum est ut dispensationes in forma pauperum non concederentur solum in Dataria Apostolica sed etiam in S. Pœnitentiaria. Unde quando hæ dispensationes expostulantur in S. Pœnitentiaria ab oratoribus pauperibus, debent exprimi nomina et cognomina nupturientium. Quapropter ob paritatem rationis, quoties a S. Pœnitentiaria conceditur dispensatio ad convalidandum matrimonium nullum ob

impedimentum publicum, renovatio consensus inter conjuges fieri debet in forma Tridentina.

23. Jam quæritur quid dicendum sit, si dispensatio ab impedimento publico fuerit concessa in forma pauperum, cum tamen oratores revera pauperes non sint?

Quæstio hæc nuperrimis temporibus ter in Sacra Congregatione Concilii proposita fuit. 1°. In causa Granatensi diei 18. Apr. an. 1863. 2°. In causa cui titulus 'Dubia circa facultatem dispensandi' diei 26. Apr. an. 1873. 3°. In eadem causa diei 28. Junii ejusdem anni. Solummodo in postrema propositione quæstio resoluta esse aliquo modo videtur.

24. Ut autem rei claritati consulamus quædam historice præmittimus.

Sæculis superioribus ad Datariam Apostolicam pertinebant omnes dispensationes in foro externo, et pro impedimentis publicis, sive oratores fuissent pauperes sive non fuissent. Eversis publicis rebus sub finem sæculi elapsi et sub initio præsentis Dataria Apostolica impedita fuit, quominus negotia sua exerceret. Quare tunc dispensationes matrimoniales per Sacram Pœnitentiariam expediebantur.

25. Restituto autem ordine publico, Dataria Apostolica pristina sua negotia iterum exequi aggressa est, tamen praxis invaluit, ut quoties novus Major Pœnitentiarius constitueretur in suo officio reciperet a Summo Pontifice facultatem dispensandi in omnibus casibus etiam publicis 'quando occurrat vera oratorum paupertas per authenticam ordinariorum attestationem comprobanda'. Igitur major Pœnitentiarius ex hoc usu noviter inducto incepit ex speciali concessione Pontificis habere novam facultatem, quæ non reperitur expressa in Constitutione Benedicti XIV. '*Pastor Bonus*' in qua limites potestatis S. Pœnitentiariæ determinantur.

26. Hisce historice relatis, veniamus ad quæstionem nostram. Quid dicendum de dispensatione concessa in forma pauperum, quando constiterit oratores revera non esse pauperes? Valetne hæc dispensatio?

Præmitto quæstionem nostram non attingere hypothesim fraudis oratorum, qua nempe malitia velint decipere auctoritatem Ecclesiæ. Ista enim in hypothesi subingrederetur dispositio capitis 20. '*Super Literis, De Rescriptis*' in quo principium sequens statuitur 'Mendax preceptor carere debet penitus impetratis'.

27. Hisce præmissis auctores antiqui, inter quos eminent Reiffenstuel in Appendice ad librum IV. Decretalium § 8. n. 205. et seqq. communiter docent dispensationem in forma pauperum concessam valere quamvis oratores revera pauperes non sint. Ratio præcipua hujus sententiæ hæc est: Valor dispensationis est æstimandus ex causa motiva, non ex causa solummodo impulsiva, scilicet accessoria. Jamvero juxta stylum curiæ paupertas non est proprie causa dispensationis concedendæ. Ad summum vero est causa tantum accessoria et impulsiva, et paupertas est potius solummodo ratio adhibendi specialem formam dispensationis, quæ dicitur '*forma pauperum*'. Quare quæstio est, ut ajunt de forma expeditionis non de substantiæ.

Porro hæc ratio optima est si sermo sit de dispensationibus in forma pauperum concessis a Dataria Apostolica, quia Dataria Apostolica consideratur tamquam organum ordinarium Pontificis, cui a Pontifice absolute demandatum est munus dispensandi pro omnibus fidelibus indiscriminatim, sive divitibus sive pauperibus, ita ut pro utrisque sola differentia sit in forma expeditionis. Hinc Sacra Congregatio Concilii die 9. Septembris anni 1679. declaravit, validam esse dispensationem in forma pauperum concessam, licet cognitum esset, oratores revera pauperes non fuisse.

28. At eadem conclusio dispensationibus pro pauperibus, quæ a S. Pœnitentiaria concedi solent vi facultatum Majori Pœnitentiario tributarum, applicari non posse videtur. Etenim in S. Pœnitentiaria quando agitur de paupertate vera vel non vera, non est quæstio de diversitate formæ expeditionis, sed potius de substantia dispensationis et de facultate dispensandi. Etenim Major Pœnitentiarius non assequitur a Summo Pontifice facultatem dispensandi absolute et pro fidelibus cujuscumque conditionis, sed solum quando occurrat vera paupertas. Igitur non existente paupertate deficere videtur in dispensante facultas dispensandi. Delegatus autem extra mandatum agens, nihil agit.

29. Utique ex adverso dici posset mandatum Pontificis quoad majorem Pœnitentiarium ita esse conceptum ut possit dispensare, quando occurrat vera paupertas, per authenticam ordinariorum attestationem comprobanda, et per consequens videretur alligata facultas dispensandi authenticæ attestationi Ordinariorum, unde Pœnitentiarius Major non videtur esse de veritate paupertatis judex, sed judex est Ordinarius Oratorum, et per consequens Major

Pœnitentiarius legitime utitur potestate sua, quando in Actis Sacri Tribunalis attestatio authentica Ordinarii de Oratorum paupertate existit.

30. Verum praxis S. Pœnitentiariæ aliter explicasse videtur mandatum Pontificis, quod Majori Pœnitentiario conceditur in hypothesi, qua oratores non sint vere pauperes, licet de eorum paupertate fidem fecerit Ordinarius. Nam juxta praxim S. Pœnitentiariæ triplex tempus distingui solet, in ordine ad cognitionem non existentie paupertatis, primum quod præcedit ipsam dispensationem, secundum, quod elabatur a dispensatione concessa usque ad executionem ejusdem, quæ executio Ordinariis committitur, tertium, quod discurrere incipit post executionem datam rescripto dispensationis. Si agatur de primo tempore, quoties in S. Pœnitentiaria cognoscatur oratores pauperes non esse, remittuntur ad Datariam Apostolicam, ut in ea negotium dispensationis pertractetur. Si autem oriatur solummodo fundatum dubium de non veritate paupertatis, suspenditur in S. Pœnitentiaria negotium, et simul nova ab Ordinario exposcitur informatio de veritate rei. Si tamen necessitas urgeat contrahendi matrimonium, dispensatio illico conceditur, sed conditio apponitur '*dummodo oratores vere pauperes sint*'. Hinc gravatur conscientia Ordinarii, ut antequam edat decretum executionis dispensationis, cognoscat de veritate paupertatis. Si sermo sit de secundo tempore et S. Pœnitentiaria cognoscat oratores non esse vere pauperes, S. Tribunal vel remittit negotium ad Apostolicam Datariam, vel speciales facultates pro illo casu exposcit a Summo Pontifice ad roborandam dispensationem datam.

Tandem si sermo sit de tertio tempore, et cognoscitur oratores pauperes non esse, S. Pœnitentiaria rem deferre solet ad Summum Pontificem, et ex audientia Sanctissimi, si rationes adsint, concedere solet sanationem defectus in remedium conscientie.

31. Hac praxi exposita in S. Cong. Concilii d. 28. Junii 1873 propositoque dubio: '*An validæ sint matrimoniales dispensationes pro pauperibus a S. Pœnitentiaria in foro externo concessæ, quando paupertas falso allegata fuerit in casu*', responsum est '*Nil esse innovandum*'. Si rite hæc responsio accipiatur, habebimus S. Cong. Concilii approbasse stylum Curie servatum in S. Pœnitentiaria, stylus autem Curie hac intentione seu hoc consilio regitur, ut nempe in casibus particularibus qui proponuntur, aptetur remedium,